



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Philippi Clüveri[i] Germaniæ Antiquæ Libri tres

Clüver, Philipp

Lugduni Batavorum, 1631

Cap. IV. De opidis Vindeliciæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44541

cap. xxx, hæc leguntur: *Noricorum provincia, quam Bojoariorum populus inhabitabat, habet ab oriente Pannoniam, ab occidente Svaviam, à meridie Italiam, ab aquilonis verò parte Danubii fluenta.* Ex quibus colligere dabatur, Bojos Bojohæmo pulsos, non in Vindeliciam, sed in Noricum transisse; ni malum atq; imperitum harum partium geographum manifestò se proderet Paullus memoracione Svaviæ: quæ certè numquàm ad Aenum, Noricorum terminum, pertinuit. Norici igitur vocabulo ille Vindeliciam quoque accensuit, in quâ nunc *Bavaria*, Sveviæ contermina. Verùm **BOJORUM** ex Bojohæmo sub Augusto Cæsare in Vindeliciam commigrationem hætenus adseruisse sufficiat. Nomen eorum postea in Vindeliciâ variè ab inferioris sæculi scriptoribus formatum fuit: quibus passim dicuntur **BOJOARII**, **BOJOVARII**, **BAJOARTI**, **BAJOVARII**, **BAJUVARII**, **BA- 10**
JOBARI, **BAIBARI**, **BAIVARII**, & postremùm **BAVARI**; ex quo quibusdam nugandi occasio arrepta, nomen hoc ex *Bojis* & *Avaribus* esse compositum.

Reliquorum populorum, *Consuænetum*, *Catenatum*, *Virucinatium*, & aliorum, quos supra enumeravi, nomina nullis certis sitibus adsignari possunt: ad eò nulla eorum extant indicia, vel vestigia; & nugari in incertis non libet. Terminum tamen Vindeliciæ fuisse cenfeo ab meridie, primùm supra dictum amnem *Bregen*; hinc montium jugum, quod inter *Lichum* & *Aenum* ad *Isari* usque fonteis & opidum *Innespruck* protenditur.

CAPUT IV.

De opidis VINDELICIÆ.

20

VINDELICIÆ situ, finibus, ac populis explicatis, proxima sit cura, opida ejus indicare. In his primum locum jure mereatur id, quod jam ab initio caput gentis fuit, postea verò, quum in provinciam Romanorum redigeretur ipsa terra Vindelicia, coloniæ Romanæ nomen ac dignitatem adeptum est. De hoc ita Tacitus, in libro de Germaniâ: *Propior Hermundurorum civitas: fida Romanis; eòque solis Germanorum non in ripâ Danubii commercium, sed penitus, atque in splendidissimâ Rhatia provincia coloniâ.* Unam solam fuisse coloniâ, satis apertè testatur, dum nomen ejus nullum proprium indicat. Ptolemæo, qui proximus à Tacito geographica sua nobis reliquit, Vindeliciæ recensetur urbs *Αὐγῦστει Οὐινδελικῶν*, **AUGUSTA VINDELICORUM**. quod 30
vocabulum *Augustæ* nullis opidis nisi coloniis fuisse tributum, vel pueri in scholis noverint. Hæc igitur illa Taciti *splendidissima Rhatie provincie coloniâ*. Esse eam, quæ nunc inter splendidissimas magnificentissimasque Germaniæ urbeis vulgò vocatur *Augßburg*, ipsum nomen disertè indicat. Sic *Augusta Rauricorum* apud Rheni lævam ripam, vi millibus passuum supra *Basiliam*, vulgò nunc dicitur vicus *Augß*. Sed & situm illius haud obscurè Tacitus monstrat. qui erat *non in ripâ Danubii, sed penitus*, id est, intus in provinciâ. Et huc itineraria, quæ mox producâ, cuncta conveniunt. Ceterò in capita gentium devictarum deduxisse Romanos coloniâ, cuius historiam eorum legenti dispicere facilimum est. Sic *Augusta Taurinorum*, *Augusta Prætoria*, *Augusta Rauracorum*, *Augusta Treverorum*, *Augusta Sueffonum*, *Augusta Veromandunorum*, & aliæ coloniæ, suæ quæque gentis jam 40
antea fuere capita. Ad eundem igitur modum haud dubiè & *Vindelicorum Augustâ* suæ gentis, etiam ante coloniâ deductam, fuit caput. Velferus, postquam multum circa primam hujus urbis originem nequidquam laboravit, tandem in hæc verba concludit: *Locus, in latissimâ planitie clementer editus, prope Vindonis & Lyci confluviu, Danubio ad commoditates vicinus, nec expositus nimia propinquitate ad pericula Germanicarum incurfionum, Vindeliciæ meditullio. nomen Augustæ inditum; Vindelicorum cognomen additum, differentiâ aliarum urbium, quæ eodem nomine adpellatæ.* Dubia mehercules & ambigua sententia; ubi nescias, opidum jam antea existisse, an tunc demùm à Romanis conditum intellexerit. quamquam in præcedentibus doceat, Romanos etiam nova nonnumquam deducendis coloniis opida excitasse. Quam mentem de Vindelicorum Augustâ si habue- 50
rit, errasse eum, vehementer ego vereor. quidpe, præter rationem modò allatam, Strabonis quoque verba ex lib. iv supra citavi ista: *Καὶ οἱ Ἑπίωνες ἢ τῶν Οὐινδελικῶν εἰσι, & Βεργάσιοι: καὶ πάλαι αὐτῶν Βεργάσιον, καὶ Καμποδῦνον, καὶ ἡ τῶν Λικαίων ὡς πρὸς τὴν Δαμασία.* id est: *Vindelicorum sunt etiam Epiones, & Brigantii: opidaque eorum Brigantium & Campodunum; & Licatiorum veluti arx Damasia.* **DAMASIA** igitur procul dubiò Vindelicorum Licatiorum caput. idque Augustæ ad Licum amnem germanum genuinumq; nomen, antequàm coloniâ devictis Vindeliciis Augusti auspiciis eò deducta fuit. Huc accedit, quòd aliàs Strabo Augustæ nullam facit mentionem: quæ, ut præcipua jam ejus ætate & clarissima totius Vindeliciæ urbs, nullo pacto erat silentio transmittenda. nec *Damasiæ* ullus alius auctor memorat: scilicet,

scilicet, quia vocabulum id in Augustæ nomen abiit. Tacitus, annal. lib. XII: *Silurum gens non atrocitate, non clementiâ mutabatur, quin bellum exerceret, castrisque legionum pre-menda foret. Id quò promptius veniret, colonia Camalodunum validâ veteranorum manu deducitur in agros captivos; subsidium adversus rebelles, & imbuendis sociis ad officia legum.* Ea causa ubique coloniarum Romanarum. De Licatiis autem ita idem Strabo: Ἰννομώτατοι ἦ τῶν Οὐινδελικῶν ἐξήταστοί τε Δικῆτοι καὶ Κλαυδῆταιοι. id est: *Ferocissimi Vindelicorum habiti sunt Licatii & Clautinatii.* Tanta igitur Augustæ Vindelicorum monstrari potest antiquitas; tanta antiquis etiam temporibus celebritas. ad quod dignitatis fastigium non nisi longin-quioris temporis progressu evehi potuit, in gente barbarâ, ac liberâ; cui nulli impetus

10 ad integra opida de subito erigendum.

Porro opida in itinere ab *Arbore felice*, Helvetiorum opido (*Arbon* nunc est vulgari vocabulo, apud lacum Brigantium) ad *Augustam Vindelicorum*, notantur ista in tabulâ & Antonini itinerario:

Tabula;	Antoninus;	Antoninus;	Antoninus;
<i>Arbor felix</i>	<i>Arbore felice</i>		<i>Arbore felice</i>
<i>Brigantio</i> x.	<i>Brigandia</i> xx.	<i>Brigantia</i>	<i>Brigantia</i> xx.
<i>Ad Renum</i> viiij.			
<i>Vemania</i> xv.	<i>Vermania</i> xxiii.	<i>Vermanie</i> xxiii.	<i>Vermania</i> xxiii.
<i>Viacæ</i> xxiii.			
20	<i>Campoduno</i> xvi.	<i>Campoduno</i> xv.	<i>Campoduno</i> xv.
	<i>Rostro Nemavia</i> xxxii.	<i>Rostro Nemavia</i> xxxiii.	
			<i>Celio monte</i> xiiii.
			<i>Guntia</i> xvi.
<i>Augusta Vindelicorum</i> xx.	<i>Aug. Vindelicorum</i> xxv.	<i>Aug. Vindelicorum</i> xxxvii.	<i>Aug. Vindelicorum</i> xxii.

BRIGANTIUM esse nunc *Bregenz*, ad caput lacus Brigantini, cui nomen inde quæsi-tum, cum vocabulum, tum itineris tractus & intervallum maximè indicant: quorum hoc Antoninus ab *Arbore felice* Brigantium usque utroque in itinere facit xx millium pas-suum; tabula verò xix. Certum igitur ex his sit documentis, ordinem in tabulâ à libra-rio esse turbatum: ubi sic antea erat scriptum:

30 *Arbor felix*
Ad Renum viiij.
Brigantio x.

Rhenus equidem ab *Arbore felice* duobus haud ampliùs abest millibus passuum. at ex notatis tabulæ numeris ego colligo, Rheni hoc in itinere trajectum fuisse commodissimo itineris ductu ad vicum *Rhineck*, vel paullo supra.

CAMPODUNUM Antonini Strabo quoque, dicto lib. iv, Græcè per literam ω scripsit $\kappa\alpha\mu\pi\delta\upsilon\nu\omega\nu$. at magis genuinum ejus loci nomen est apud Ptolemæum per β , $\kappa\alpha\mu\beta\acute{o}\delta\upsilon\nu\omega\nu$. & in tabulâ CAMBODUNUM, in Notitiâ imperii CAMBIDUNUM. quæ-situm namque id è fluminis, cui adpositum, vocabulo *Kamb*. Id opidum hodiè vulgari

40 vocabulo dicitur *Kämbten*, sive *Kämpten*.

Inter *Campodunum* & *Brigantium* habet Antoninus, tribus in itineribus, locum, cui nomen *VEMANIA*, & corruptè *Vermania*: nam tabulæ etiam est *Vermania*, & Notitiæ imperii *VIMANIA*. In tabulâ post *Vermaniam* sequitur protinus *VIACA*. Hodiè inter *Bregenz* & *Kämpten* sunt loci *Wangen* & *VVageck*. quorum hic haud dubiè est *Viacæ*, ille verò *Vermania*. Numeri in itinerariis ferè ubique corrupti sunt. Antoninus ubique ha-bet inter *Brigantium* & *Vermaniam* xxiv millia passuum: hinc verò *Campodunum* xv, duobus in itineribus, & in tertio xvi. totidem circiter hodiè numerantur inter *Bregenz* & *VVangen*. Unde perspicitur, apud Antoninum etiam inter *Brigantium* & *Vermaniam* perscripta fuisse xvi; vel xv, ut rectè eo intervallo habet tabula. A *VVangen* numerantur ad *Kämpten* 50 millia circiter xxv. unde adparet, Antoninum quoque xxiv illa millia, quæ perperam sunt adposita inter *Brigantium* & *Vermaniam*, ipsum scripsisse inter *Vermaniam* & *Campodunum*. Tabulæ exscriptor eundem numerum quum hoc itinere signatum videret, xxiii inde imperitè fecit inter *Vermaniam* & *Viacam*: quum sint inter *VVangen* & *VVageck* xvii circi-ter tantum. nisi fortè in archetypo fuerint millia xviii: quæ ille corruptè in xxiii. De reliquo, apud Ptolemæum hæc leguntur: πρὸς τὴν πύλιν καὶ πάλιν τῆς Ῥῆνης πρὸς τὴν Ταξγατίου, Βεργαλίον. καὶ τὴν πύλιν Οὐίνου. id est: *Ad Rheni fluminis caput est Taxgetium, Brigantium. post hæc verò Vicus. TAXGÆTIUM* ex positione apud Rheni fontem interpretor hodiè opidulum *Tavesch*. ab hoc versùs septentriones descenditur ad opidum *Bregenz*, quòd si recto ordine perrexit Ptolemæus porro versùs septentriones; *Vicus* certè nul-lus

lus alius erit locus quàm *Viaca* tabulæ. ac fortè apud Ptolemæum scriptum fuit *Oviac*, *VIA CUS*. Graduum adnotationes in eo auctore nihil attinet observare. in his quidpe plerumque falsus deprehenditur.

Porro Antonino inter *Cambodunum* & *Augustam Vindelicum* referuntur *CELIUS MONS*, & *GUNTIA*. *Celium montem* esse vicum nunc *Kelmüntz*, haud procul Ilaro flumine & opido *Münchrot*, cum tractus itineris, quod paullum heic lævorsum declinat, tum multo maximè nomen ipsum testatur. Id nomen loci Notitiæ imperii est *COELIUS*, sine *montis* adjectione. *Guntiam* interpretatur Rhenanus opidum *Guntzburg* ad Guntiaë amnis ac Danubii confluentis. Verùm magis placet opinio Velferi, qui *Guntberg* interpretatur, ad fontem Guntiaë. Illud quidpe longius extra viam Camboduno Augustam ver- 10 sùs distitum; & nimis prope habet opidum *Knüringen*, quod tabulæ esse *Grinarionem*, infra ostendetur. cujus propinquitas tanta, uti haud facillè crediderim, fuisse & Guntio- burgium tunc locum celebrem. Apud Antoninum millia passuum numerantur à Cam- poduno Celium montem usque XIV; hinc verò Guntiam XVI: at à *Kämpten* & *Kelmüntz* sunt XXX: hinc verò ad *Guntzburg* XXV. Nullo igitur modo Antonini *Guntzia* intelligenda est *Guntzburg*. Numeri quum suis locis manserint, tamen nomina à malè curioso librario transposita sunt. etenim à *Kämpten* ad *Guntzbrug* millia sunt XIV: & hinc ad *Kelmüntz* XVI: hinc denique Augustam XXXIX. Hujus *Guntiaë* Notitia etiam meminit imperii.

At *Guntioburgii* quoque antiquitatem ex veterum monumentis ostendi posse reor. Eumenii, in panegyrico, Constantio Cæsari dicto, hæc leguntur verba: *Captus rex fera- 20 cissima nationis inter ipsas, quas moliebatur, insidias; & à ponte Rheni usque ad Danubii transitum Contientem devastata atque exhausta penitus Almania*. Heic sive ipse sic scripserit Eumenius, sive librariorum postea incuriâ *G* in *C* fuerit vitiatum, locus certè nullus alius est, quàm qui nunc ad Guntiaë confluentem dicitur Guntioburgium: ubi etiam nunc ponte transitur Danubius.

ROSTRUM NEMAVIÆ cum doctissimo Simlero interpretor ex regionis tractu celeberrimum nunc opidum *Memmingen*. à quo Cambodunum usque millia sunt XXXII; Augustam verò XXXVII circiter. Unum igitur X apud Antoninum inter Cambodunum & Nemaviam abundat.

Aliud iter per Vindeliciam ab Augustâ Vindelicum versùs Italiam est hujusmodi: 30

Tabula;	Antoninus;				
<i>Augusta Vindelicum.</i>	<i>Augusta Vindelicum</i>				
<i>Ad Novas</i>					
<i>Avodiaco</i>	<i>Abuzaco</i> XXXVI.		Antoninus;		
<i>Coveliacas</i>					
<i>Tarteno</i> XX.	<i>Parthano</i> XXX.		<i>Parthano</i>		Antoninus;
<i>Scarbia</i> XI.					
<i>Vetonina</i> XVIII.	<i>Veldidena</i> XXX.		<i>Veldidena</i> XXIII.		<i>Veldidena</i>
<i>Matrejo</i> XVIII.					
<i>Vipiteno</i> XX.	<i>Vipiteno</i> XXXVI.				<i>Vipiteno</i> XXXVI. 40
<i>Sublavione</i> XXXV.	<i>Sublavione</i> XXXII.				
<i>Ponte Drusi</i> XIII.	<i>Endide</i> XXIII.				
<i>Tridente</i> XL	<i>Tridente</i> XXI.				

Loco *Ad Novas* quia intervalli numerus non adpositus, haud facillè verus situs investigari poterit. *Abuzaco* Antonini idem est locus, qui *Avodiaco* tabulæ. & hic idem, qui eidem tabulæ scribitur *Abodiaco*, alio in itinere. quod tale est:

Augusta Vindelicum

Rapis XVIII.

Navore XXI.

Camboduno XVIII.

Efcone XX.

Abodiaco XVIII.

In hoc itinere, an *Navore* idem sit locus, qui supra dicitur *Ad Novas*, haud facillè dixerim. in eadem sanè regionem iter ad *Abodiaco* tendit. Nec quidquam de *Rapis* liquet.

ESCONEM nullum alium esse locum, quàm qui ad Lichum amnem vulgò hodiè vocatur *Scong*, ipsum nomen clarè indicat. Ab hoc ad Cambodunum millia circiter sunt passuum XXIV.

ABODIACUM, sive, ut Ptolemæo scribitur, *ΑΒΟΔΙΑΝΟΥ*, *ABODIACUM*, omnes ferè

ferè viri docti, qui de eo scripserunt, hodiè volunt esse opidum *Füessen* eodem Licho adpositum, XIV millibus passuum supra Esconem, XVII millibus à Camboduno distitum. quorum sententiæ lubentissimus ego subscripserim: namque *Veldidena*, quæ viatiato vocabulo in tabulâ *Vetonina*, extra controversiam hodiè est *VVilten*, ad Aeni Utique confluentis, III circiter millibus supra opidum *Innespruck*. Per hoc autem simulque per opidum *Füessen* iter agitur Augustâ Vindelicorum Tridentum versùs.

Jam verò inter *Füessen* & *VVilten* seu *Innespruck* loci sunt *Kochel* & *Partenkirch*. quorum ille haud dubiè *COVELIACÆ* tabulæ; hic verò Antonini *PARTHANUM*: quod corruptum in tabulâ *Tarteno*, pro *PARTENO*. quamquàm nullum horum verum genuinumque loci nomen putaverim. rectiùs sanè in Notitiâ imperii *PARRADUNUM*. ex quo etiam apud Ptolemæum pro *καρράδωνον* pono *παρράδωνον*. & facilis librario lapsus ex π in κ .

Inter *Parradunum* igitur & *Veldidenam* *SCARBIA* ex intervallis & itineris actu fuerit circa locum, cui nomen *Mittennwald*. ad quem à *Parraduno* XI sunt millia; & porrò *Veldidenam* usque XIX.

Reliqua ejusdem itineris *Matreium*, *Vipitenum*, *Sublabio*, *Pons Drusi*, qui Ptolemæo *Drusomagus*, & *Tridentum*; jam extra Vindeliciæ nostræ limiteis posita, Rhætorum quia fuere loca, nihil ad præsentem commentationem pertinere puto.

De cetero, iter tabulæ ab Augustâ Vindelicorum per Esconem, Abudiacum usque, 20 jam antea ostensum est. Pergit hinc ita:

Tabulæ;	Antoninus;	Antoninus;	Antoninus;	Antoninus;
	<i>Veldidena</i>			
<i>Abodiaco</i>	<i>Parthano</i>	XXIII.	<i>Aug. Vindelicum</i>	<i>Aug. Vindelicum</i>
<i>Vrusa</i> XIII.	<i>Ad pontes Tessenios</i> XX.			
<i>Bratananio</i> XII.	<i>Ambre</i>	XL.	<i>Ambre</i> XXXVII.	<i>Ambre</i> XXVII.
<i>Isunisca</i> XII.	<i>Isinisco</i>	XXXII.	<i>Isinisca</i> XXXII.	<i>Isinisca</i> XXII.
<i>Ad Enum</i> XX.	<i>Ponte Aeni</i>	XX.	<i>Ponte Aeni</i> XX.	<i>Ponte Aeni</i> XX.
<i>Bedaio</i> XIII.	<i>Bidaio</i>	XVIII.	<i>Bidaio</i> XVIII.	<i>Bidaio</i> XVIIII.
30 <i>Artobrige</i> XVI.				
<i>Iovavo</i> XVI.	<i>Iovavi</i>	XXXIII.	<i>Iovavi</i> XXXII.	<i>Iovavi</i> XXXVI.

Iovavum esse nunc celebre opidum *Salzburg*, postea firmissimis monstrabitur documentis. Huc ab Augustâ rectissimâ viâ agitur iter per nobile nunc opidum *Monachium*, Isaro flumini impositum. Quo argumento, satis valido, *ISINISCA* sive *ISUNISCA* nulla alia est, quàm dictum opidum *Monachium*. nam ab flumine nomen ei quæsitum quasi *ISARISCA*, nemo dubitare potest. Ac fortè caput fuit *Isarcorum*; quos valles Isari incoluisse supra docui.

Nec *AMBRAM* ignorari potest; quando medio fermè itinere inter Augustam & 40 *Monachium* occurrit fluvius *Amber*. ad quem locum *Pruck an der Amber*, ex adverso opidi *Fürstenfeld*, interpretor *Ambram*. nisi fortè sine aliquo opido vel vico nudum fluvium *AMBRAM* & trajectum ejus heic intellexerit Antoninus. Numeri ubique corrupti sunt. quidpe millia sunt inter Augustam & *Ambram* haud amplius XXII. inter hunc & *Monachium* XVII.

Porrò à *Monachio* *Salisburgium* versùs rectissimâ viâ transitur Aenus amnis apud opidum *Alten Hohenaw*. quod ego interpretor tabulæ locum *AD AENUM*: (nam puto *A* interiisse:) qui Antonino est *PONS AENI*; & Notitiæ imperii *PONS OENI*. Ubique numeri millium corrupti: quibus tertium adscribendum est X. Locus cui vocabulum *Bedaio*, sive *Bidaio*, jam extra Vindeliciam in Norico fuit. de eo igitur postea dicitur.

50 Inter *Partenkirch* & *Fürstenfeld* XLII haud amplius sunt millia passuum. unde adparet, numeros apud Antoninum inter *Partanum* & *Ambram* esse viatiatos. Mihi *PONTES TESSENI* fuerint vicus hodiè apud lacum *Ambram*, vulgari vocabulo *Tiessen* dictus. quin *Tessenios* fuisse ab Antonino scriptum, quod postmodò corruptum in *Tessenios*, facile suspicet. Nimis audaciter & confidenter *Aventinus*; qui, uti opidum Isaro adpositum *Schöfelern* inde fingeret, corrumpere haud dubitavit dictum vocabulum in *Scaphonios*.

De *Vrusa* tabulæ & *Bratananio* nihil liquet.

De cetero iter per Danubii ripam à *Samuloceni* ad *Aeni* usque confluentem signatur in tabulâ hoc modo:

Samulo-

<i>Samulocenis</i>		
<i>Grinarione</i>	XXII.	
<i>Clarena</i>	
<i>Ad Lunam</i>	XXII.	
<i>Aquileia</i>	XX.	
<i>Opic</i>	XVIII.	
<i>Septemiaci</i>	VII.	
<i>Losodica</i>	VII.	
<i>Medianis</i>	XI.	
<i>Iciniaco</i>	VI. II.	10
<i>Biricianis</i>	VII.	
<i>Vetonianis</i>	XVIII.	
<i>Germanico</i>	XII.	
<i>Celenso</i>	VIII.	Antoninus:
<i>Arufena</i>	III.	<i>Abusina</i>
<i>Regino</i>	XXII:	<i>Regio</i> XX.
		<i>Augustis</i> XXIII.
<i>Servioduro</i>	XVIII.	
<i>Petrensibus</i>	XXVII.	<i>Quintianis</i> XX.
<i>Castellum</i>	XVIII.	<i>Bolodero</i> XXIII.
<i>Bolodurum</i>	

Samulocenis Ptolemæo dici *Alcimoënnim*, esseque hodiè *Vlm*; Germaniæ lib. III, cap. IV, docui. Ab hoc opido XVII millia passuum versùs orientem est opidum *Gnüringen*, medio situ inter *Guntiam* & *Mindelum* amneis. quod ex situ, haud procul Danubii ripâ, item ex itineris tractu, & multo maximè ex vocabuli similitudine, sine controversiâ est *GRINARIO* tabulæ. in quâ V in X corruptum esse patet.

Inde *CLARENNA* nunc dicitur opidum *Rain*, prope *Lichi* confluentem.

Hinc à *Clarennâ* duùm diversorum itinerum vocabula ab imperito ac malè curioso tabulæ exscriptore confusa esse puto. nam *BURICIANA* & *VETONIANA* ex 30 itineris tractu, situ in ripâ, similitudine nominum, & intervallo XVI II millium, haud dubiè nunc sunt *Burchaim* & *Winten*. & inter hoc etiam atque *Abensperg* millia sunt XXIV; ut tabula habet inter *Vetoniana* & *Arufenam*; quæ correctiùs Antonino & Notitiæ imperii dicitur *ABUSINA*: ex quâ voce in tabulâ scribo *ABUSENA*. Nomen traxit ab amne, vulgò *Abens* dicto; cui adposita. quem & ipsum rectè dixeris Latino ore *Abusenam*, vel *Abusenam*; & *Abusinam*, vel *Abusinum*.

Inter *Vetoniana* & *Abusenam* *GERMANICUS*, haud dubiè vicus, ex situ & XII millium intervallo est opidulum *Foburg*, ad Danubii ripam, in insulâ, quam os *Ilmii* fluminis efficit, situm; quod ponte ulteriori, id est, Germanicæ ripæ adnexum. unde fortè nomen ei quondam quæsitum.

Post IX hinc millia passuum, ut habet tabula, *CELEUSUM* erit opidum nunc ad *Abusini* confluentem *Neustat*, III circiter millibus ab opido *Abensberg* distitum.

Tabulæ *REGINUM* Notitiæ imperii dicitur *CASTRAREGINA*. unde certum fit, vitiatum esse vocabulum apud Antoninum *Regio*. Esse hodiè celebre opidum *Regenspurg*, contra confluentem *Regini* amnis, qui vulgò *Regen*, positum, nemini dubitare fas est; quando situs in Danubii ripâ, maximè verò nomen convenit. Fuisse jam tunc clarum atque illustre, ex eo perspicitur, quòd tabula primariæ urbis figurâ depictum habet. Non tamen credo illis, qui id coloniam *Augusti Tiberii* faciunt, ex nescio quo nummo, cujus inscriptio sit talis: *COL. TIBERIA. AUGUSTA.* cui adjiciunt auctoritatem diplomatis *Leonis III* pontificis, an. *IOCCXCVIII* perscripti; in quo hæc leguntur verba: *In- 50*
ta muros Tiburniæ civitatis, quæ à Tiberio Cesare Augusto adificata est; quæ modo vulgò appel-
lata est Reginaspurh. Sed quid non barbara istius sæculi ignorantia & monachalis securitas, somniavit, prælicenterque finxit? quâ grammaticæ disciplinæ ratione à *Tiberii* nomine urbs dici potuit *Tiburnia*? quod vocabulum *Tibur* Italiæ opidum, haud procul Româ situm, maximè redolet. Multo ego malo gravissimo auctori *C. Tacito* credere; qui suo ævo sub *Trajani* imperii initium, quo Germaniam descripsit, unam agnoscit, ut supra ostensum, totius *Rhæticiæ* coloniam, *Augustam Vindelicorum*. Quòd si alia præter hanc fuisset, nec *Ptolemæum*, nec *Antoninum*, nec auctorem tabulæ, nec *Notitiam* imperii latere potuisset: apud quos omneis altissimum ejus rei silentium; quum tamen
ubique

ubique tabulæ nominentur *Augusta colonia*. Rectius igitur ac tutius istum nummum alio traxeris. & verba hæc sunt ex Græcâ Nicephori Callisti historiâ, lib. 1, cap. xvii, Latine versa: *Opus quoque ejus est Iudæa celebris urbs Tiberias & qua in Thraciâ est Tiberia.*

Porro quod CASTELLUM tabulæ dicitur, ex situ & itineris tractu, item ex intervallo, quod LXXIII est millium à Regino, haud dubiè nobilis nunc est urbs *Passau* ad Aeni confluentem lavâ oris ripâ situm. Idem locus Notitiæ imperii procul dubio est *BATAVA*, in his verbis: *Prefectus ala Flavia Retorum, Quintanis. Tribunus cohortis Norvæ Batavorum, Batavis. Tribunus cohortis Tertiæ Brittonum, Abusina.* Atque hinc ipse locus è *Batavorum* nomine dictus CASTRA BATAVA: & cognomine tantum *BATAVA*. quod
10 Germani postea suâ lingvâ fecere *Bettaw*: & tandem aliâ dialecto, quâ superiores inferiorum t mutant in *s*, *Passaw*. Agnosco heic errorem satis turpem, per quem in Germaniâ lib. 1, cap. vii, adserui *Passavium* esse *Bojodurum*, à Bojorum transitu sic dictum, quia hodiè que transitum vocamus *ein pass*. *Bojodurum* nunc esse *Initat*, ex adverso *Passavii* in dextrâ Aeni ripâ situm, postea in Norico certis probabo documentis.

De cetero *SERVIODURUM*, ex situ in Danubii ripâ, millium intervallo, & nominis insuper quâdam similitudine, deprehenditur nunc esse opidum *Straubing*.

PETRENSIA item ex positu ad Danubium, & millium intervallis, conjicio esse nunc opidum *Oosterhoven*.

Loca igitur illa suprâ recitata, *Ad Lunam, Aquileja, Opia, Septemiacum, Losodia, Mediana,*
20 *Iciniacum*, alio in itinere, quod medium fuit inter modò explicatum & illud ab Augustâ *Juvavium* versûs, fuisse censeo. Nec tamen, quo situ singula fuerint, quidquam liquet.

QUINTIANA, subintellige CASTRA, quæ Notitiæ imperii vocantur *QUINTANA*, haud dubiè nunc sunt *Kintzen*, vicus infra opidum *Oosterhoven*; quando & situs haud procul Danubio & nomen integrè respondent. nec numerus millium perinde abhorret: sunt quidpe circiter *xix*.

AUGUSTA Antonini sive ut Notitia habet imperii, *AUGUSTANA*, intellige CASTRA, quidam volunt esse hodiè vicum *Gaisling*, *xi* millia passuum infra Reginum, haud procul Danubio situm. quibus ego reclamare nolim; quando situs & nomen haud malè congruunt. nam millium numeris non semper fidem esse habendam, jam dudum patuit.

30 Loca porro inter *Abusinam* & *Augustam* *Vindelicum* notantur apud Antoninum ista:

<i>Abusina</i>	
<i>Vallato</i>	XVIII.
<i>Summontorio</i>	XV.
<i>Augusta Vindelicum</i>	XX.

Numerus *LIV* millium satis benè convenit intervallo inter *Augstburg* & *Abensperg*. *VALLATUM* igitur colligo fuisse supra opidum *Gaisfeld*, *Ilmio* amni adpositum: *SUMMONTORIUM* verò, sive, ut Notitiæ imperii scribitur, *SUBMONTORIUM*, supra opidum *Hohenmart*.

40 De *Prolemæi Bragodoro, Dracuinâ, & Vianâ*, quæ loca illi apud superiorem Danubii ripam ponuntur, nihil liquet. Eiusdem *Phœviana*, *PHÆNIANA*, eundem locum censeo esse, qui Notitiæ imperii plurali numero est *PINIANA*. At de situ ejus nihil liquet.

Eiusdem Notitiæ *FEBIANA castra*, cum *Rhenano* interpretor *Babenhansen*, ad *Guntiam* amnem.

Atque hæcenus loca *Vindeliciæ*, quorum situs investigari potuit, explicata sunt. nunc transmissio Aeno flumine *Noricum* quoque lustretur.

CAP. V.

De NORICO.

50 **Q**uoniam *Noricum* sub unius quondam fuisse regis imperio, ex *Svetonio* maximè patet. is quidpe in *Tiberio Perseverantia*, inquit, grande pretium tulit, toto *Illyrico*, quod inter *Italiam regnum, Noricum & Thraciam & Macedoniam*, interq; *Danubium flumen & sinum maris Adriatici* patet, perdomito & in ditionem redacto. Hinc etiam illud *Julii Cæsaris*, belli *Gall* comment. 1: *Dua fuerunt Ariovisti uxores; una Sueva natione, quam domo secum adduxerat; altera Norica, regis Vocionis soror; quam in Gallia duxerat, à fratre missam.* Et item istud, belli civilis comment. 1: *Equitesque ad eum venerunt à rege Norico circiter ccc.* *NORICORUM* etiam, ut *Vindelicum*, compluris fuisse populos testem suprâ citavimus *Plinium*. cujus verba, lib. 111, cap. xx, hæc sunt: *Iuxta Carnos, quondam*